vel Parochi, citari possunt coram Officiario Diœcesani, visuri has pœnas, & cēsuras incurrisse. Hæc dicta Glossa. Ex qua colligo, quòd nullum priuilegium, aut exemptio ipsis Religiosis suffragari potest, quominùs ad instantiam promotoris, vel Parochi citari possint coram Officiario Diœcesani, visuri has pœnas, & censuras incurrisse, si prædicta Sacramenta sine aliquo priuilegio, aut legitima consuetudine id permittente, administrauerunt. Si enim ea [facultate Apostolica permittente] administrauerunt, in nullas pœnas incurrisse dicendum est, vt patet ex alijs verbis eiusdem Clementinę superius relatis. Et hic intellectus est necessario admittendus; alioquin diceremus Clementem §. sibi statim contrariari. Videatur Pater Emanuel arc. 2. q. citat.

¶ Secundo notandum est, q̃ Clerici presbyteri qui prædicta Sacramenta administrārt absq; licentia presbyteri Parochialis, licet grauiter peccent, in excommunicationem tamen non incidunt. Patet prima pars. Quia cum administratio Sacramentorum requirat iurisdictionis potestatem, simul cum illa quę est Ordinis; qui primum non habent, etiam